



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XVII. Quòd omnis sollicitudo in Deo statuenda sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Et si tua defuerit consolatio , sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio.

Non enim in perpetuum irascēris , neque in æternum comminaberis.

### C A P U T XVII.

*Quod omnis sollicitudo in Deo statuenda sit.*

1. **F**illi, sine me tecum agere, quod volo : ego scio , quid expedit tibi.

Tu cogitas sicut homo : tu sentis in multis , sicut humanus suadet affectus.

Domine , verum est quod dicis. Major est sollicitudo tua pro me, quam omnis cura quam ego gerere possum pro me.

Nimis enim casualiter stat , qui non projicit omnem sollicitudinem suam in te.

Domine , dummodo voluntas mea recta & firma ad te permaneat, fac de me quidquid tibi pacuerit.

Non

Non enim potest esse nisi bonum,  
quidquid de me feceris.

2. Si me vis esse in tenebris, sis be-  
neditus: & si me vis esse in luce, sis  
iterum benedictus. Si me dignaris  
consolari, sis benedictus: & si me  
vis tribulari, sis æquè semper bene-  
dictus.

3. Fili, sic oportet te stare, si tecum  
desideras ambulare.

Ita promptus esse debes ad patien-  
tium, sicut ad gaudendum.

Ita libenter debes esse inops &  
pauper, sicut plenus & dives.

4. Domine, libenter patiar pro-  
te, quidquid volueris venire super  
me.

Indifferenter volo de manu tua  
bonum & malum, dulce & ama-  
rum, lætum & triste suscipere, & pro  
omnibus mihi contingentibus gra-  
tias agere.

Custodi me ab omni peccato, &  
non timebo mortem nec infernum.

Dummodo in æternum me non  
projicias, nec deleas de libro vitæ;

non mihi nocebit , quidquid ven-  
rit tribulationis super me.

## C A P U T X V I I I .

*Quod temporales miseriæ , exemplo  
Christi æquanimiter sunt ferenda.*

1. **F**ili , ego descendì de cælo pro  
tua salute : suscepit tuas mis-  
erias , non necessitate , sed charitate  
trahente , ut patientiam disceres , &  
temporales miserias non indignan-  
ter ferres.

Nam ab hora ortūs mei usque ad  
exitum in cruce , non defuit mihi  
tolerantia doloris.

Defectum rerum temporalium  
magnum habui : multas querimo-  
nias de me frequenter audivi : con-  
fusiones & opprobria benignè susti-  
nui : pro beneficiis ingratitudinem  
recepī , pro miraculis blasphemias ,  
pro doctrina reprehensiones.

2. Domine , quia tu patiens fuisti  
in vita tua , in hoc maximè imple-  
ndo præceptum Patris tui ; dignum  
est